



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Oratio, Et Gratiarvm actio pro beneficio religiosæ vocationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

iustitia fundaberis, recede procul à calumnia: quia non timebis, & à pauore: quia non appropinquabit tibi. Et nunc, Domine, video me, ab ipsa pueritia lapidem huius fabricæ tuæ, partem huius domus tuæ, membrum religionis sanctæ tuæ, quod donum eximium, te sapientia docente, & illuminante cor meum, sine difficultate concepi, te bonitate molliente meam duritiam, admisi, te potentia meâ imbecillitatem fulciete suscepisti: sapientia tuæ fuit, quoddam mundi fallacias irrisi, & status religiosi præstantiam agnoui: Bonitatis tuæ fuit, quoddam sæculi mala contempsi, & vitæ religiosæ bona quæsiui: Potentiæ tuæ fuit, quoddam iugum disciplinæ portare valui, & onus subiectionis nunquam abieci. Ob hoc ergo eximium beneficium, ac præstantissimum donum, immensas tibi, ô Deus meus, grates re-

A fero, & omnes cœlestes spiritus, atque vniuersos sanctorum cœtus ad te laudandum, & prædicandum inuito, quia pusillum elegisti, vilissimum dilexisti, & infirmum, atque imbecillum sustentasti. Confirma iam, ô creator sancte meus, quod operatus es in me, qui cepisti opus bonum, illud rogo, vt tua sapientia, bonitate, & potentia perficias. Da vt mundum, quem contempsi, verè contemnâ, virtutem, ac puritatem, quam statu sequor, actione complectar; & te solum bonum meum implens sinus cordis mei, toto ardore, tota mente, & tota virtute diligam, quatenus in postremo die vitæ meæ, seruus fidelis inuentus, ex hoc paradiso terrestri, quem incolo, in cœlestem paradysum, & felicitatem semper duraturam, te donante, transferri merear.



ORATIO. ET GRATIARVM actio pro beneficio religiosæ vocationis.

CREATOR omnium Deus, qui ex hominibus ad tuam imaginem, & similitudinem factis, quosdam, non minus mirabiliter, quàm misericorditer eligis, in quibus per religiosum statum, & per vitam eo dignam, imago tua purior & similitudo splendidior, appareat. Totis præcordiis laudo, & benedico te, qui me vilissimum vermem, vnum istorum esse fecisti, & ab ipsa pueritia vsque ad virilem ætatem tecum religiosa professione iunxisti, & firmam spem perseuerandi vsque ad mortem, non naturæ, sed efficaciam tuam gratiam subnixam, benignissima pietate donasti. Rogo te, Pater, & verè Pater, vt huic præstantissimo beneficio semper gratus existam, dona tua innumerabilia in me per hunc statum collata, tua esse & non mea, sincerissima veritate cognoscam, in illis, & ex illis, non mihi omni spurcitia pleno, sed tibi infinita laude dignissimo, omnem gloriam, & laudationem quæram, & post tot religionis cemensos annos vitam tandem religiosam spirituales, & penitus à sæculo alienam agere incipiam.

Amen.